*DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.*

# THESES EX UNIVERSA MEDICINA

## PUBLICIS AGITANDÆ DISPUTATIONIBUS IN MEDICORUM SCHOLIS CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ CADOMENSIS, PRO DOCTORATUS GRADU CONSEQUENDO,

M. PETRO ANGO, DOCTORE MEDICO, ET PROFESSORE REGIO, PRÆSIDE. 46.

### *EX PHYSIOLOGIA.*

MEDICINA eſt Ars ſanitatem hominis præſentem tuendi, & abſentem reſtituendi. Diu ſub Hippocratis & Galeni vexillis floruit; ſed à ſemi-ſæculo novis locupletata inventis, ſyſtematum copiâ, veluti oppreſſa eſt. Phyſiologia, quæ hominis œconomiam attentiùs ſpectat, Recentiorum Philoſophiæ ſe adjunxit, atque inter elementa minima naturæ, & Chymica admiſit.

Sanguis humor eſt compoſitus ex vario particularum concurſu, ad partium ſolidarum nutrimentum, & ſpirituum generationem. Ille ex chylo per thoracica vaſa delato, fermentatione, cordis & arteriarum motu conficitur.

Spiritus ex tenuioribus ſanguinis particulis in cerebri glandulis percolatis conſtat. Humor lymphaticus ex reſiduo ſpirituum vappeſcentium, & ſanguine arterioſo in glandulis ſecreto ducit originem.

Spirituum ope actiones anima determinat: illi inſigni ſubtilitate, & mobilitate pollentes, cum admirabili organorum internorum & externorum mechanicâ, functiones adminiſtrant. Nutritioni etiam, ut & generationi famulantur.

Partes corporis ſolidæ ſunt, aut fluidæ: illæ duriores, ut oſſa, cartilagines, tendines; vel paulò molliores, ut fibræ motrices, quarum oſcillatione motus humorum abſolvuntur; corneâ verò duritie fatiſcentibus torpidi, aut nulli fiunt, ac fatalis mors proximè ſequitur.

Fluidæ partes ſuprà laudatæ ſunt ſanguis, lympha, & ſpiritus, quarum indeſinenti officio conſtat ſanitas, & vita. Motum habent generalem circuitûs, & peculiarem particularum inter ſe. His etiam gravitatis, æquilibrii, & elaſticitatis aſcribenda vis eſt.

Inutile eſt nomen facultatis in actionibus ſpontaneis, aut à mechanicâ pendentibus, veluti cauſam evidentem, & claram aſſerere. Coctricem enim, nutricem, & procreatricem obſcuras facultates reliquêre Veteres.

### *EX PATHOLOGIA.*

PATHOLOGIA eſt pars Medicinæ; quæ docet morboſam corporis noſtri conſtitutionem. Morbus eſt affectus præter naturam actiones primò, & per ſe manifeſtè lædens. Pathologia morbos, eorumdem cauſas & ſymptomata complectitur.

Morborum differentiæ duplices, eſſentiales aliæ, aliæ accidentales. Hæ conſtituunt morbos intemperiei in partibus ſimilaribus, 2° organicos, 3° ſolutæ unitatis ſeu communes; receſſus enim à naturali partis cujuſcunque conſtitutione, morborum genera efficit. Intemperies vix poteſt ſine materia concipi. Cùm fluidorum ſecundùm minimas partes intenſa turbatio fit, maligni enaſcuntur affectus.

Morborum in partibus organicis differentiæ tot ſunt, quot res & modi ad partis organicæ conſtitutionem prærequiruntur: definitus ſcilicet partium componentium numerus, conveniens magnitudo, conformatio juſta, quæ figuram decentem, cavitatem, aſperitatem, &c. complectitur. Opus eſt præterea, ut pars ſitum naturalem occupet, & cum vicinis connectatur. Contraria his omnibus diſpoſitio, morbus eſt.

Tertium morbi genus ſimilaribus & organicis partibus commune, ſolutæ unitatis vocatur, cùm ſcilicet partes dividuntur. Hujus generis differentiæ à parte affecta, & cauſis unitatem ſolventibus petuntur. Aliud enim eſt vulnus, contuſio, aliud fractura, caries.

Accidentales differentiæ à multis eruuntur circumſtantiis. Alii *idiopathici* morbi, alii *ſympathici*, epidemici, & endemici, chronici, breves, & acuti. Sunt etiam vel ſimplices, aut compoſiti, univerſales, & particulares, æſtivi, aut hyemales, intermittentes, aut continui, benigni, & maligni, hæreditarii, contagioſi, &c.

Morborum cauſa, externa aut interna, alia eſt proxima, alia remota, alia conjuncta, ſeu continens, alia antecedens, alia *procatartica*. Efficientes cauſæ ſunt vel humores, vel ſex res nonnaturales, aër nempe, cibus, potus, motus, quies, ſomnus, vigilia, excreta, retenta, & animi pathemata, quorum legitimus uſus ſanitatem, præpoſterus morbum excitat.

Symptoma eſt *phænomenon*, concomitans læſionem texturæ partium fluidarum, & ſolidarum. Fluidarum præcipuæ ſunt, in œconomia animali, ſanguis & ſpiritus; ex iis pendent ſymptomata, ſive actiones læſæ, qualitates mutatæ, atque excretorum & retentorum *ametria*.

Actio læditur, cùm planè aboletur, vel imminuitur, augetur, vel depravatur. Sic ventriculi actio læditur in *apepſiâ*, *bradypepſiâ*, *anorexiâ*, *dyſorexiâ*, *apoſitiâ*, ructu, vomitu, ſiti adauctâ. Sic ratio, imaginatio, & memoria abolentur, imminuuntur, ac depravantur. Idem contingit actionibus ſenſuum externorum.

### *EX SEMEIOTICE.*

SIGNUM morbi, Græcè σημεῖον, eſt quidquid ſenſibus obvium eum indicare poteſt. Morbi cauſa, & ſymptoma, ſigna ſæpè exiſtunt; Proprium eſt, vel commune ſignum: proprium ſeparabile, vel inſeparabile, ſive pathognomonicum maximè affectum deſignans.

Præterea ſignum eſt *ſynedrevon epiphainomenon*, ſubſequens, vel bonum, malum, certum, incertum, ſalutare, quod bonis ægri rebus contingit, vel lethale perniciem portendens: quædam morbi celeritatem, alia ſigna longitudinem ſignificant.

Diagnoſtica ſigna ſunt, vel prognoſtica: illa vel partem affectam, vel morbi ſpeciem declarant. Dignoſcitur potiſſimùm partis affectus actionis læſione. Sic acuti dolores membranas, obtuſi glandulas, & carnes affici demonſtrant.

Species morbi clariùs diſtinguitur pluribus ſignis, veluti teſtibus, quàm uno. Maximâ cum attentione ſignorum *ſyndrome* ſpectatur; quâ viâ ad abditorum morborum notitiam accedimus.

Deſumuntur ſigna diagnoſtica ex pulſu, urina, actionibus læſis, vitalibus, & animalibus, victûs ratione, vitæ genere, ſexu, juvantibus & nocentibus, atque communiter graſſantibus morbis, ut peſte, & variolis.

Prognoſtica ſigna ſunt, quæ in morbis futura prænunciant, nempe eventum illorum, tempus, & ſolutionis modum. Eventus ad ſanitatem, aut mortem ſpectat; ad tempus, brevitas, aut diuturnitas; ad ſolutionis modum, criſis, aut reſolutio pertinet.

Signa ſalutis aut mortis, a viribus potiſſimùm eruuntur, nempe à pulſu valido, & magno, à facili morbi tolerantia, à pravorum ſignorum abſentia. Cùm autem vires effœtæ languent, & animalis œconomia corruit, ceſſante cordis & fibrarũ oſcillatorio motu, mors obrepit.

### *EX DIÆTA.*

DIÆTA vel eſt methodus ſanis moderatè vivendi, vel ægris certa victûs inſtitutio. Eſt autem plenior, mediocris, aut tenuis: Plenior, cùm plus aſſumitur, quàm ad reparationem deperditi neceſſarium ſit: mediocris, cùm æqualis quantitas reſtituitur: tenuis, cùm minùs reponitur.

Aëris puritas ſanitati prodeſt; illius inclementia, ſive ad calorem aut frigus nimium vergat, inſalubris eſt. Sic vaporibus arſenicalibus, aut cadaverum inſepultorum conſpurcatus morborum ferax. Tenuis mediocriter ventis agitatus, nitroſis partibus ſtipatus vitali flammæ confert.

Cibus eſt id, quo ſubſtantia corporis evanida reponitur: ex eo chylus, ſanguis, & ſpiritus ad vitam fovendam neceſſarii conficiuntur. Cibi ex vegetabilibus, leguminibus, oleribus, cerealibus deſumuntur, ſed maximè ex pane ciborum frequentiſſimo, à piſtoribus vel dulciariis elaborato.

Ex animalium carnibus ſuaviora à coquis parari ſolent alimenta: quædam faciliùs in ſtomacho fermentantur, quæ præſtantiora ſunt; alia difficiliùs, quæ foſſoribus relinquenda. Ægrotantibus carnium gallinarum, & vituli juſcula idonea ſunt. Piſces etiam inter alimenta reponuntur, pleriſque grata. Potulenta fluidam ſubſtantiam reſarciunt, fermentationem promovent; inter ea vinum primas tenet, pomaceum etiam & pyraceum his in regionibus vices illius gerunt; in aliis hydromel ſimplex, aut fermentatum, vel zithum ex cerealibus, tritico, vel hordeo eductum proſunt. Ex iis ſpiritus elicitur ardens dictus, nimio ſui uſu funeſtus.

Aqua antiquiſſimus, atque familiaris potus ſitim ſedat, & fermentationem adjuvat; debet eſſe pura, ſine odore, & ſapore; elixationi carnium & piſcium inſervit, ptiſanis & apozematis conficiendis utilis; Turcæ decocto Caphe, & Chinenſes Theæ potione delectantur. Utare illis, non abutare.

Somnus reſtaurat ſpiritus, & virium lapſum: immoderatus caput gravat, mentis inducit torporem. Vehementes animi paſſiones; iræ potiſſimùm & triſtitiæ, ſanitatem turbant, & quiſquis ſuæ conſulit, tranquillitatem animi debet aucupari.

### *EX THERAPEUTICE.*

THERAPEUTICE, ſeu curatrix Medicinæ pars eſt præſtantior, quæ in ſanatione morborum certâ utitur methodo, & notitiâ agendorum. Per indicationes auxiliorum, quibus labefactata eſt corporis œconomia, eadem reſtituitur.

Duæ autem præcipuæ ſunt indicationes: una à viribus, altera ab effectibus. Vires ſunt conſervandæ: morbus eſt expugnandus: ubi unius indicatio cum altera pugnat, miſcenda eſt curationis ratio, & urgentiori occurrendum.

Remedii quantitas ex laborantis natura, & morbi magnitudine deſumenda. Tempus idoneum expectandum. Cùm morbi inchoant, ſi quid movendum, move. In ſtatu natura humori morbifico expellendo aut profligando intenta, ab inſtituto non eſt avocanda.

Venæ ſectio, ut multos jugulavit morbos, ita plurimos ægrotantes peremit. Ea non in omnibus affectibus indifferenter eſt celebranda, cùm alia præſto ſint præſidia, quæ ſanguinis & fluidorum depurationi conferant.

Etiamſi phlebotomia ſanguinis multitudinem imminuat, & humoribus veluti œſtro percitis exitum præbeat, æſtumque contemperet; non æquè tamen in eorum corruptione, ut revulſorium, aut derivatorium, æſtimetur præſidium.

Purgatio motus eſt excretorius fibrarum ventriculi, & inteſtinorum ab irritatione pendens, quo fæces & humorum recrementa foràs pelluntur; cùm verò ſtomachi fibræ à muſculis abdominis & diaphragmate compreſſæ verſus os contenta pellunt, vomitus concitatur.

Maxima eſt humorum per inſenſilem tranſpirationem evacuatio, quæ ut aliis evacuationibus copioſior, huic ideò moderandæ attentus debet eſſe Medicus; ſi ea ſubſiſtat, nec ſanguis ſufficienter depuretur, diaphoreticis & ſudorificis ſollicitanda.




*Has Theſes proponebat* FRANCISCUS CAROLUS DESPAIGNE, *Pontodomaræus, Licentiatus Medicus, die Martis ſextâ Novembris, A. R. S. H. M. DCCXIV. ab hora octava ad meridiem.*

CADOMI, Apud ANTONIUM CAVELIER, Regis, & Academiæ Typographum.